

Opuscula

SUMMA
Cardinalitii Honoris
EMINENTIA,
D. BONAVENTURA.


DOCTOR SERAPHICUS,
S. R. E. CARDINALIS,
ARCHIPISCOPUS ALBANENSIS.

Redeunte annua suæ solennitatis die
In Sacra D. FRANCISCI Basilica
Celeberrimi Conventûs Cracoviensis
Præsente Magnorum Hospitum Corona,
A
M, JOANNE ANTONIO
WOSKOWICZ,
In Alma Universitate Cracoviensi
Philosophiæ Doctore & Professore,
Oratorio Sermone
DEMONSTRATUS.

Annô quô
Summus Generis Humani Honor eminuit 1751.
Die 14. Mensis Junij.

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.

In Stemma Illustrissimæ BARTOSZEWSCIORUM Domûs



I.

Quæris? BONCZA pedes sursum cur elevat? ecce
Auxilium Lechiæ, ferre paratus adest.

II.

Hoc, quod fronte gerit Cornu pretiosius aurô,
Est pretium Patriæ Gloria magnus Honor.

III.

Stat binis pedibûs binos ad sidera tollit,
Cælos Sarmatiæ, flectere namq; cupit.

ILLUSTRISSIMO
&
REVERENDISSIMO DOMINO,
D. STANISLAO BENEDICTO
BONCZA
BARTOSZEWSKI,
DEI & Sanctæ Sedis Apostolicæ Providentiâ,
REGALIS & EXEMPTI
Archicœnobii Tynecensis,
Congregationis Benedictino-Polonæ
ABBATI,
Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis
CANONICO,
Necnon Principalium Abbatiarum
Trocensis & Orłoviensis
atq;
Ducalis Monasterii Kościełnensis, Archiepiscopalisq;
Uniejoviensis & Conventualis Tuchoviensis
Præpositurarum;
PROTO-PRÆLATO PERPETUO,
Domino Mecœnati Munificentissimo.

S*Ummam Cardinalitii Honoris Eminentiam, maximam Vaticani Gloriam, nitissimum Romanæ Purpuræ decus* BONAVENTURAM Divinissimum *quòd ad amplissimos Illustrissimæ Domus Tuæ confero splendores non mireris* Illustrissime & Reverendissime Domine. *Magnitudo etenim Illu-*

ſtriſſimæ Domûs Tuæ, par ſummis, æqualis maximis, unde decebat Summam Cardinalitii Honoris Eminentiam, maximam Vaticani Gloriam Diviniſſimum BONAVENTURAM in Illa eminere. Splendor Illius gloriæ diffuſus adeò per totam clareſcit Poloniam, Orbiq; innoteſcit Univerſo, ut Regia Solis non immeritò nominetur, tot ſublimibûs alta columnîs, quot Atlantes ad ſuſtentandum Orbem Polonum, quot Hercules ad ſufferendam Patriorum negotiorum molem, quot fortiſſimos Patriæ Scipiones, quot dexterrimos Caſtris Gradivos, quot ſtrenuos Lechico Regno Achilles, quot prudentiſſimos Senatui Conſos & Camillos ſubminiſtrat. Comportent huc prolixiores Ovidii faſtos, aptent novam Homeri Iliadem, compilent Æneidem Marones ut omnes BARTOSZEVIOS Heròás, heroicosq; Illorum conſcribant actus, quibûs Magni Miltiades Orbem impleverunt Polonum, ut haberent poſteri Themiſtocles, quod in illis mirari & imitari poſſent. Gentilitium BARTOSZEVSCIORUM Bończam, tollentem ad Cœlos verticem dum intueor, dignum Cœleſti Zodiaco, ut ipsis coronetur ſideribûs cenſeo. Si Szeligarum Lunam, Cruci junctam reverentiali cerno pupillâ, Hæc opacis cæcæ ſuperſtitionis diſſipatîs cimeriis, ſereno Fidei orthodoxæ lumine, primum Jagelonem Poloniæ Regem illuſtravit documentum eſt, Szeligarum Lunam ipſos Regnorum Soles poſſe illuſtrare Hæc ſufficeret Orbi illuſtrando toti, ſi ſtellæ deeſſent Olympo Hæc quoties ſuîs cornibûs arietem belli in hoſtem movit toties in triumphalem Patriæ arcum aſſurrexit. Nunquam expaluit, niſi inter curas Patriæ & Eccleſiæ nunquam excanduit, niſi ad vindictam Barbarorum maximos ſemper gloriæ ſplendores BARTOSZEVIORUM ferens Nomini. Facient ſæcula ante Lunam natos Arcades, obſcuros & cæcæ noctis partus, BARTOSZEVII cum Sole cœperunt, ab origine ſtatim Illuſtriſſimi, in Mondvido Palemonii Duce, Purpurîs ornatiſſimi, Sagô & Togâ celeberrimi. Celſiſſima Domus BARTOSZEVSCIORUM, Magnorum ab antiquo Heròûm ſedes

ſedes. Oſtro & rubentibûs Muricibûs ſplendidiſsima, ſublimitate gloriæ par Olympo. Arbor BARTOSZEVIANÆ geneſis in tantam excrevit proceritatem, ut ex latiſsimis ſuis frondibus ſufficiat dare & Peda Præſulibus, & Curules Statoribus libertatis. Flumina magna parvis de fontibus orta ſunt, Rubicon Illuſtriſſimi Sanguinis BARTOSZEVSCIORVM ab origine profundiſsimus, & maximus, in ampliſsimum poſthac diffuſus mare, omni ſæculo inæſtimabiles Virorum Gemmas pariebat & parit adusq́. Revolvo faſtos Poloniæ & plenos lego BARTOSZEWSCIORVM Nomine, reſero Atria & plena adverto Avorum Atavorumq́ imaginibûs, recludo Conclavia & plena video honorariìs faſcibûs, nimirùm per faſces numerantur BARTOSZEVII & fixus in omnes cognatos procedit Honor. In ſublimi BARTOSZEVIANÆ Domus Polo non Primus es Phoſphorus Abbas Illuſtriſſime fulſerunt ante Te multa Primæ Magnitudinis Sidera, plurimi Caſtores luxerunt, innumeri Martes radiârunt. Irem per omnes Majores Tuos, recenſerem ſingula trabeata Nomina, niſi mihi Tua Abbatialis modeſtia calamum contineret, paucîs verbîs idcirco omnes ſimul ediſſero, magnos geſſerunt Honorum Titulos BARTOSZEVII Trabeis ſplendorem auxerunt, utramquamq́ Purpuram decorârunt. Ex magnis cineribus evoluiſti Tu Phœnix gloriæ, idea pietatis, exemplar ſanctimoniæ, Virorum gemma, virtutum Compendium, Principum amor, pupillorum Pupilla, Benedictini Ordinis Honor maximus Illuſtriſsime & Reverendiſsime Dñe. Non tamen ab Avorum cineribus corruſcantes gloriæ vel famæ quæris igniculos, non à Conſanguinearum unione Domorum æſtimationem pretiumve aucuparis, non à præcelſa Proſapiæ arbore fructum Honoris expoſcis, ſed à maxima virtute. Et ideo Nomen Tuum Genusq́ maximum, majoribus extendis factis, Lineas Auguſtæ Propaginis, probitatum auges charactere, ut Tui laudatoribus luctam moveas, ſanguinis ne Purpura an candor probitatis?

illustres Ceræ an rectefactorum fulgor? palmam in Te teneat. Angustis Augusta Lucinæ manus adhuc Te stringebat cunabulis, jam ampla virtute Tua Orbem implere cœperas Sarmaticum, Quis, qualis, quantusve futurus esses, absq; oraculo Phœbi, quilibet augur erat, magnam indolem, speciem Imperio dignam, amœnitatem vultûs, comitatem oculorum intuendo, quod in delicium Regni, in fulcrum Patriæ, in Columen Ecclesiæ, in grande Illustrissimæ Domus Tuæ crescebas jubar. Amœnum Ver Te Mundo dedit STANISLAUM, ut ex Te Polonia novum solatiorum Majum, Avita Domus Coronamentum Vinea Domini odore virtutum florem fragrantissimum, Infula suum haberet ornamentum. Auroram vitæ Tuæ Scholasticus protinùs sequebatur Phœbus, Sereniores Sarmatiæ dies illaturus. In Arena Literaria non ludicræ Infantum imagines, sed vivæ virtutum Ideæ, non vitreus Crystalli nitor, sed crystallina mentis puritas, non domesticus, sed Scholasticus Te pulvis oblectabat. Idcirco in eruditæ Palladis Olympiis ad metam omnes præcessisti. Sublime bicollis Parnassi vix ascendisti culmen illicò Tuum verticem omnium Principes artium Musæ, ceu Thronum suum possederunt. In Tullianum vix descendisti littus, Oratoria statim ornabas Rostra, pro verbis Gemmas loquendo. Æstimabantur protinus Pliniorum uniones, penes Tuæ pretium facundiæ, augebantur Oratorii fontes, penes Tuæ torrentem suadæ, vernabant pulchriùs Demosthenum Lilia, florebant venustiùs Hortensiorum Rosæ penes Tuæ vernantiam eloquentiæ. Palladis itaq; Laurea redimitus Oratoriis floribûs coronatus, omnium virtutum luce corruscus ad Benedictinum devertisti Ordinem. Illius perennis Laus & Gloria STANISLAUS Nomine BENEDICTI insignitus, vera Patriarchæ Tui Idea. Celeberrimum Nesvisiense Cœnobium, cum in Te vidit clementem Genium, humanam indolem, sinceram frontem, sermonis pondere gravem, cum Te perfectum virtutibus & scientiis, accepit non fecit, statim omnium corda, in amorem Tui, Prima illiusmet Cœnobii Capita,

in

magna de Te non sine felici eventu quo sacer Benedictinus nunc gaudet Ordo, traxisti meditamina, quæ ut in Te effectuata essent, Cœlum ac Tua virtus laboravit. Philosophicam dum es aggressus arenam, Philosophici Tibi circuli abibant in coronas triumphales, Logicæ spinæ producebant Rosas in sertum meritissimi Tui verticis. Arbor Porphyrii Tuo capiti crescebat in laureas. Trita igitur à Te Philosophica arena in Olympum Tuæ coàluit gloriæ. Mirabantur singuli scientiam, stupebant Ingenium Cœleste & dignum Professorali judicabant Cathedra, quem sibi in Philosophia præfecerunt Magistrum. Demirabantur in Te studiosæ mentes subtilitatem cum soliditate, soliditatem cum claritate, claritatem cum facilitate, facilitatem cum vero docendi amore, quem illis ad discendum, proficiendum, & sapiendum instillasti: In Theologia speculativa subtilissimus; nullum dubium erat quod extra dubium non poneres, nullus tam intricatus argumenti nodus, quem subtili mente non resolveres, nulla difficultas, quam solidâ non facilitares doctrinâ. In Morali verò clarissimus, quod ore docuisti, implebas factô, quod verbô loquebaris, confirmabas illimis vitæ exemplô, virtutum exemplar. Sed non sufficiebat Tibi in scholasticis tantùm docere Cathedris, nisi etiam in sacris erudires Exedris, sacrâ doctrinâ mentes, salutari instructione animas, corda aurifluo oris Tui rore implens alter Chrisostomus. Tantæ itaq; virtutis Tuæ & meritis cæpit se insinuare Honor Abbatialis dum Te Cœnobium Nesvisiense præstantissimum habere Moderatorem optabat, ut cùm alios meritis & virtutibùs antecedebas, etiam & honore excelleres. Sed non est suis votis elusum dum per libera Majorum ac Fratrum vota Abbas & Commissarius, Generalis es electus, Abbas & Commissarius Generalis factus, omnium desiderio, singulorum expectationi satisfecisti, quod æquum erat, egisti cuncta pro Honore Ordinis Benedictini; quod erat laudatissimum, fecisti omnia pro Illius emolumento. Non hoc erat Tibi eminere tantùm in Infula, tolli supra alios Pedô Præsuleô sed

)b(Divinis

Divinis prodesse Aris subvenire Templis. *Extollit nomen Tuum sub Cœlos Turris Nesvisiensis Cœnobij, laudis Tuæ famam campana resonat semper ac inter ipsa divulgat sidera. Porta se Tibi in triumphalem sinuat arcum, quam Tua munificentiâ erexisti. Ad hanc portam Tibi obligatissima omnium patuere corda, & pectora, dum tanti beneficii in Superos præstiti non ingrata Polono Benedictina Congregatio Te suum emeritissimum elegit Præsidentem. Felicissimis auspiciis prævio virtutum & meritorum agmine, in hac honoris consistens auge, Te in omnium commoda in singulorum emolumentum effudisti. Ut quiescerent alii tu quiescere noluisti, totum Te curis impendisti etiam propriæ valetudini non parcens, ac viribus non indulgens. Et non immerito Te* Excellentissimus Illustrissimus & Reverendissimus Dominus CAMILLUS PAULUCIUS SORBELINUS Archiepiscopus Iconensis, *in utraquè Signatura* Summi Pontificis Referendarius, *in Polonia* Nuntius Apostolicus, *Regiæ Mogilnensi Abbatiæ præfecit, & Commissarium Apostolicum omnium per utramq; Poloniam & M. D. Lithvaniæ Ordinis Benedictini Cœnobiorum delegavit. Gerens hoc officium, quanta pro gloria Ordinis Benedictini egisti, quot profluvia sudoris effudisti, quot incommoda tolerasti, quot inquietudines sustinuisti. Ponderavit hæc singula summum Ecclesiæ Caput* BENEDICTUS XIV. Pontifex Maximus, *æstimavit Tui sudoris gemmas, & tam pretiosa monilia pectori admovens. digna Infulæ Tynecensis Archicœnobii judicavit, dum Te eidem providit Abbatem, Resonuit multum Tui* Nominis *fama per septem colles Romæ, ubi* Illustrissimo & Reverendissimo Domino FERDINANDO MARIA *de* RUBAI Archiepiscopo Tarsinensi, *in Ecclesia monialium* S. BENEDICTI, *apud Campum Martium munus Benedictionis Abbatialis, & insignia conferente, in numerosa amplissimorum Hospitum Præsentia, gratulatorios cum festivo jubilo Tibi Roma reddidit plau-*

sus

Jus. Revertentem ad nativum Patriæ solum, si plausum attendis, quô Te suscepit si affectum quô Te adamavit, si æstimationem, qua Te Gemmam Virorum recepit Corona Poloniæ, non major plausus apud Xerxem Themistocliꝰ, non majus jubilum apud Dionisium Platonis fuisse videbatur. Quocunq; incederes prius Tibi pectora quàm Penetralia, prius corda quàm Conclavia patuere. Emeritissimus jam Abbas Archi-Cœnobii Tynecensis, omnes informas eruditione, excolis conversatione, impellis exemplô, dirigis legibus armas virtute, munis spiritu adeò ut jam nulla obvenire possint adversa, quæ non vincas nullæ honestatis leges, quas non asseras, vitia quæ non extirpes, virtutes quas non implantes, abusus quos non eruas, ruina quam non fulcias, prosperitas quam non adaugeas, utpote totus communi deditus Bono, ab exhibendis subsidiis manus, à supportandis oneribus humeros nunquam subtrahis, Palæstra eruditionis, pietatis exemplar, sanctitatis speculum, Legum amor, virtutum Asylum, vitiorum excidium, singulorum delicium. Captivasti Tibi corda Procerum, animos Magnatum, Dinastarum devicisti affectus, adeò ut ex Illorum cordibus spolia ex animis trophæa, ex affectibus gloriam retuleris. Magnum olim Romanæ & Senatoriæ Purpuræ decus, ingens Poloniæ Astrum, Sarmatici Consus Regni, Superum specialis Gratia, Eminentissimus JOANNES ALEXANDER LIPSKI, S. R. E. Cardinalis, Episcopus Cracoviensis, in Te gratiosissimus, Te dilectissimum suo pectore fovit, & magnis gratiarum prosequebatur favoribus. Augusta RADIVILIORUM, SANGUSZKORUM Regia, Te suum continuò fovit fovetq; delicium. Te Illustrissimi, Reverendissimi Prælati, Canonici, toto complectendo animo & affectu, in suum evocarunt gremium, evocatum magna æstimatione Te Gemmam & Decus Coronarum Vavelli prosequuntur. Tu vicissim ita Te accommodas singulis comitate, inviseras affectu cunctis, ut per Tui comitatem & affectum, omnium cor & primum vivens

 habearis

habearis. Non est mihi tantum facundiæ flumen, ut omnium in Te effusum celebrem affectum, sufficit mihi dicere, quòd es amor Principum, delicium Magnatum, cor omnium. Plurima alia Te circumstantia decora, innumera Tua gesta non ad calculum revoco, sed profundo veneror cultu. Summis tantùm Illustrissimæ Domus *Tuæ decoribus summam* Cardinalitii Honoris Eminentiam Divinissimum BONAVENTURAM *adjungo. Cardinalitiâ Rotâ Te fortunatum & incolumem cum tota* Illustrissima Domo *ad supremam* Honorum *ut vehat augem precor.*

Illustrissimæ & Reverendissimæ
Dominationis VESTRÆ

Humillimus Servus & Cliens
JOANNES ANTONIUS WOSKOWICZ,
Phiæ Doctor. Author Operis.

ORATIO.

SPatiosum latè diffusi Orbis ambitum,
Oratoris hactenus perlustrabat animus,
hodie dextro omine festivas Divinissi-
mi pro laudibus BONAVENTU-
RÆ, .ascendit exedras, non jam ad accensam Dio-
genis facem, verùm ad Seraphicos FRANCISCI ignes,
magnum in rebus inane, Vestris monstraturus obtu-
tibus. AA. Augusta etenim sæculorum opera, visu
stupenda, humanæq; captum excedentia mentis Or-
bis vetusti prodigia, pro quibus non unus Archime-
des cum Lisippo longo annorum tractu laborando;
sudavit & alsit, ut admirando pompofæ vanitatis
stupore captos in triumphum raperent, quidquid
magnificum ostentabant, humilem efficit umbram,
quidquid elatâ superbiâ transcendentale remon-
strabant, infimæ speciei videtur, quidquid jactabant
pretiosum, vile spectatur, quidquid decorum in-
forme observatur. Admiratrices hominum pupil-
las rapiebant olim superbo luxu vestita Acroco-
rinthi Augustalia Pariîs lapidibûs, nitido ebore, &
metallorum Principe aurô constructa Cyri triclinia,
mortalium fatigabant oculos, tam superbæ Basium
moles, majori cum propudio sui abiere pridem in-

B favil-

favillas. Stupebat admirabile fastuosæ artis portentum Crystallinum Cosroæ Cœlum vetustas, mirabatur vastam grandioris Machinæ immensitatem, quæ Solis, siderumq; cursus, Lunæ vices, micantium stellarum conversiones exhibendo, verioris speciem Cœli mirô artificiô præsentabat: concussum fragile mundanæ vanitatis vitrum, magnitudo diminuta, altitudo depressa, nil nisi portentosum Nomen inane, & splendidum nihil, humanis repræsentat oculis. Antiqua olim Macedonia, Heroum sedes, Bellonæ gloria, & Martis prodigium, magnum Orbîs stuporem & terrorem jactabat Alexandrum, fascibûs universi dignum extollebat, sed quod magno augebat stupore, id in se exiguum erat, Orbi æqualem dicebat, quem fatorum cinis cum favilla æquavit. Ingens Asiæ ornamentum, superbum Priami Ilium magnum sui Imperij decus centum portarum Thebæ, illa bracteata Memphis fulgura quæ ad mendacem sui emendam famam, immensas Ægyptiorum opes exigebant, (parvô enim vana gloria emi non potuit) jam pridem abiere in ludibrium, cesserunt in prædam sæculis, & absumptîs magnîs sumptibûs magnificam; quâ gloriabantur pompam, celârunt in ruderibus. Fastuosa illa septem Orbîs miracula, jam edaci rerum tempore adeò sunt contrita, ut maximum sit octavum miraculum, ex septem miraculis nullum superesse. Mendaces Mundi magitudines, lippientes mortalium oculos apparenti rerum fallunt celsitudine, æmulas Poli stelligeri turres Pharias, triumphales evectos ad sidera obeliscos, per ementita Thelescopia, fucata quantitate, ostentant maximos, quos perspicacior mentis solertia, quanti sint ex cinere

meti-

metitur. Removeamus Mundi siparium & re-
rum vana omnia adhuc scrutabimur, Cor siderei
Olympi, Cæli oculus, diei fax, & Astrorũ Princeps
Tytan, ad diffundendam serenitatis suæ Majestatem
Orbem postulat universum, magnitudine sua va-
stissimam centies sexagies Mundi excedit machi-
nam, meridionali sistens in puncto, Orbe minor
observatur. Latè extensum prominentibûs montiũ
jugîs tumescentem terræ globum, effusum in im-
mensum; terram circumluentem Oceanum mens
curiosa spectare Empyreum versùs si elevabitur,
Oceanum in guttam, terram in athomum degene-
rare spectabit. Sublimes illi Gaditani montes, ver-
tice ipsi contermini Polo Athlantes vastitate molis,
ambitioso cacumine curiosas mortalium fatigantes
pupillas Caucasi, jam in depressas abierunt valles,
in quibus Nomen exiguum & parvitatem molis hu-
mana scrutatur industria. Ad caput Orbîs Romam
consisto in septicolli fastigio aliquid sublime, & ex-
celsum spectaturus, & dum reverentialem pupillam
in Vaticanam reflecto dignitatem, virtutum celsi-
tudinem non sine stupore, sapientiæ magnitudi-
nem non sine prodigio, sublimitatem sanctitatis
non sine admiratione, Divinissimum BONA-
VENTURAM adoro. Quidquid enim in se com-
plexus BONAVENTURA, id totum humanas ex-
cedebat mentes, superabat animos, magnitudine sua
ipsos contingebat Polos. Loquantur jam Tulliorum
Rostra caput Orbîs Romam, Ego Divinissimum
BONAVENTURAM, ex altitudine sapientiæ
supremam admirabor Potentiam, proclament Gen-
tium Dominam, Ego Divinissimum CARDINA-
LEM Purpuratum venerabor Principem, edisse-

rnt Cœlum terrestre, Ego Divinissimum BONAVENTURAM Motricem Intelligentiam considerabo, agnoscant Ornamentum Europæ, Ego Divinissimum BONAVENTURAM Purpuræ Cardinalitiæ maximum affirmabo decus, dicant Cynosuram errantium, Ego fulgentissimum Sidus Ecclesiæ Divinissimum BONAVENTURAM observabo, in quo Sapientia & virtus supremæ fulgebant ad stuporem omnium, eruditio & probitas maximæ, in admirationem resplendebant cunctorum, scientia & pietas summæ, ad singulorum eminebant prodigium. Ergo maximîs exornatum dotibûs BONAVENTURAM Divinissimum summam Cardinalitii Honoris Eminentiam infima Oratoris deprædicabit svada. Summam virtutum Tuarum Eminentiam humilis venerabitur dictio BONAVENTURA Divinissime, quæ si ad Tuæ Majestatem Eminentiæ apparabit minima, parces *DIVINISSIME CARDINALIS*, humilem tamen Eminentia sanctitatis Tuæ non dedignabitur svadam, quæ non tam ab imbelli Tullio, quàm ab amplissima, Auditoris Corona splendidior apparebit.

TRabeata honorum elevari in subsellia excelsa, Majestuosæ dignitatis ascendere solia, vel ad meridionales gloriæ inclarescere soles, ferventissimô mortales exambiunt studiô AA. Singuli etenim supra Imperatrices Augusti sellas immensa honorum luce eminere cupiunt, cuncti serenissimo titulorum radiô splendere, omnes ingenti famulantiũ dignitatum circumdari comitatu exambiunt, nec ullus est qui flagranti anhelitu ad honorum festinando culmina, aut velle recuset, aut os populi mereri non curet. Omnes Pompeii, singuli Cæsares

esse

esse volunt, quasi à natura omnes pari sorte ad Olympum gloriæ essent destinati. Multi primo vitæ passu summa dignitatum fastigia transcenderet conantur, plurimi cunabula puerilia pro primo gradu ad sublimes ponunt curules, & quàmvis ab ortu suo tenebriones prodierint, tamen in clarissimo eminentiæ splendore exoptant videri. Ab ipsis fasciis, jam ad fasces, jam ad aureum Regalis eminentiæ Pomum extendunt manus, non prius Solem, quàm solium cernere anhelando. Alumnô Lucinæ adhuc gestantur gremiô, jam Olympum gloriæ calcare, jam ad sublime præcelsi Capitolium honoris progredi ambiunt, adhuc tremulô arundinis instar titubant passu, jam adamantina Regni fulcra, jam Scipiones Patriæ dici cupiunt. Alii tumido fastu ut inter sidera attollant caput, Herculeas impendunt vires, ut Majestate AUGUSTI, gloriâ MACEDONES, dignitate HONORII, felicitate JULII, æstimatione AURELIANI, magnitudine videantur MAXIMINI, omnes exercent conatus, cum Invictissimis triumphare, cum Serenissimis in sudo gloriæ apparere, cum Eminentissimis eminere, cum Illustrissimis lucere ambientes. Alii cum Alexandro Magno se dignam Jove Sobolem jactando, humanæ obliviscuntur conditionis, ex Deorum nasci non nisi volunt genesi, aut Martem Parentem, vel Berecinthiam suam jactitant Matrem. Alia DOCTORIS Seraphici Sanctitatis eminentia, maximum se negavit, cum se indies virtutibûs faciebat majorem, infimus ac ultimus dici volebat, cùm esset primus Trabeati Senatûs Princeps, eminere non curabat, cum spectaretur Eminentissimum Cardinalitiæ Purpuræ decus, nube tegi cupiebat, cùm

radiaret fulgidiſſimus Vaticanæ Unio Rotæ, magnus recuſabat nominari, cùm eſſet & haberetur maximus Præſuleæ dignitatis Honor, Cujus maxima eminentia non eminere, ſumma magnificentia minui, ſplendidiſſima ſerenitas latere inter umbras. Non in altis eminentiæ Montibus, verùm in abyſſali Seraphicæ humilitatis virtutum poſuit baſim & ſic humilitate ſummus, pietate maximus, Sapientiâ & ſanctitate excrevit ſupremus. Corporis animiq; Bona in Diviniſsimo BONAVENTURA ſi ſpectare licet, omnia præſtantiſſima, velut in Cydari gemmas in Firmamento ſtellas, in Sole radios orſervabimus. Si probitatum magnitudinem admirari venit, hæc par Olympo, æqualis Cœlo, quam ullæ protenſæ Tulliorum auxeſes metiri, ulla penna Oratoria attingere non valet, utpote affinis ſuperis pleniſsima tantummodo æternitate coronanda. Imperatrix virtutum prudentia in Illo eminebat ad ſtuporem omnium, Purpureus verecundiæ rubor in vultu florebat ad admirationem ſingulorum, animi modeſtia Regiam Catonis ſuperabat dignitatem. Ille pro Eccleſia militante Achilles invictiſsimus, in reportandis trophæis gloriæ Victori Numini, Hector potentiſsimus, in Fide fortiſsimus, in charitate fervidiſsimus, in humilitate profundiſsimus, in patientia conſtantiſmus, in contemplatione Cœleſtium Myſteriorum elevatiſsimus, quibûsvis maximîs ſplendidiſsimus virtutum dotibûs Summa effuſit Cardinalitii Honoris Eminentia. Admirandam igitur probitatum Iliadem, qui Homerus exiguo includet nucleo? infinitas qui Archimedes ad calculum revocabit dotes. Abſoluta Eloquentiæ Majeſtas, ad Cardinalitiam feu-

daria

dataria Purpuram ſubſiſte, quod par innumeris dotibus ac virtutibus Doctoris Seraphici meditaberis elogium? citra temeritatem Oratoris laudari nequeunt quæ innumera ſunt. Admirare tantùm prodigium BONAVENTURAM Diviniſsimum, quem longô gravata ſeniô Ritela Mater cum quodam edidit miraculo, ut in ſtuporem univerſo cum Macedone abiret. Sudârunt diutiùs ſæcula antequam magnum Orbi exhibure Pompeium, dedere Nummam, protulere Titum. Meditabantur diu tempora, antequam magnum Romanæ Purpuræ decus, pietatis Ideam, delicium Eccleſiæ dedere BONAVENTURAM, & ideo diſtulere Parentum gaudia, ut docerent; quòd magna ſolatia non parva præcedit expectatio & Mundi ornamenta maxima lento progrediuntur paſſu. Non horas enim aut dies, non menſes aut annos, verùm ſæcula fatigat obeliſcus, ut ſurgat, longô confectum ſeniô tempus eſſe debuit, antequam tanta virtutum magnitudo coaleſcere potuit, quæ erat in miraculum univerſi & in ſummam Cardinalitii Honoris Eminentiam abitura. Citiùs ſemper tenerrimæ ſurgunt violæ, ſeriùs ſpecioſus Zephyri partus Roſa, vel candidum Lilium, citiùs oriuntur minores ſcintillæ & radii, ſeriùs Soles, Diviniſſimus BONAVENTURA quòd erat futurus Vaticanæ maximus ſplendor gloriæ, & Summa Cardinalitii Honoris Eminentia, ſeriùs cum Sole & grandibus Aſtris oriri debuit, ab origine ſtatim illuſtriſsimus, sereniſsimus, quia vix genitus, jam ſub radiis emicuit Beatus, & inde mortalium cunas ſuâ naſcendi gloriâ excelluit, quòd priùs Cœlites amare potuit, quàm vivere, priùs Numinis, quàm Orbis deliciæ factus, priùs Cœle-

 ſtis

ſtis Fortunæ vultum noverat, quàm Matris ſuæ Ritelæ, priùs Linguas Cœli quàm vocem Joannis Parentis intellexit, ut non aliud verbum loqueretur, niſi quod eſſet DEUS. Ex tantæ lucis ortu ſereniores concipite Soles intima Parentum præcordia, Adriaticum Mare ingentibûs Gaudiorum intumeſce fluctibûs, ad cujus littora hæc Gemma prodiit, Cujus candor puritas, pretium ſanctitas pondus integritas, duratio æternitas, Cujus conſervatio Cœlum, Cujus Æſtimator Ipſe extitit DEUS. Coronata Urbs Regniq; ſui Corona Balneoregium ex hac Gemma & decus & valorem capeſſe maximum, quæ divitis Gangis ſuperando pretium, digna Annulo includi Piſcatoris. Quæritis quid erit BONAVENTURA Diviniſſimus? dicam Romani Capitis dexter Oculus erit, qui cæcos in fide videre faciet, Anchora erit Adamantina, quæ Navim Petri ſecurè detinebit, Purpuratus Eccleſiæ Romanæ Princeps erit, qui Gentium Dominam fortiùs quàm Apollo Troiam, vel Achilles Græciam tuebitur. Erit maxima Vaticanæ dignitatis gloria & Summa Cardinalitii Honoris Eminentia. Aſt humanæ felicitatis ſucceſſus Cœlorũ Orbitas & curſus imitantur, quibûs unà ſerenitas amænæ diei, & opacæ noctis tempeſtas invehitur. Invida malorũ diſcrimina diuturna mortalium non patiuntur ſolatia, ubi inimica rebus humanis fatorum malignitas, veſano cæci impetu furoris in Diviniſsimum irruit BONAVENTURAM, ut præconceptæ de Illo ſpes & ſolatia in herba evaneſcant. Sed quid agitis rebus inimica fata? lumen Oculi extinguere, Anchoram tollere, Purpuratũ Principem captivare, Gemmam inpulverem conterere, maximam Vaticanæ

canæ

canæ dignitatis gloriam, & Summam Cardinalitii Honoris Eminentiam supprimere conanimi, quid (inquam) agitis diræ malorum furiæ? quod sanctum profanare, quod immortale morte afficere, quod incorruptum corrumpere, quod integrum voluere Superi, lacerare satagitis, attendite priùs compositas in Crucem FRANCISCI manus, quæ Vestrum in fugam convertent furorem. Facta dixi, afflicta Mater dulcissimi pignoris casu, tendit ad vivos in Oliveto Alverni erumpentes FRANCISCI fontes, uberrimas de oculis fundit lacrymas, certa ex illis sperans sibi emersura solatia. Agit solenne votum, BONAVENTURAM inter Seraphicas flammas gratam Cœlis victimam fore, num Parcæ parcant & non extinguant BONAVENTURÆ vitale lumen. FRANCISCUS compositis in Crucem manibûs spondet Ritelæ, cursum vitæ BONAVENTURÆ Cœlos in meliorem redacturos esse ordinem, ut Rota Cardinalia ex cursu vitæ ulterioris BONAVENTURÆ sistat in meta Honoris immortalis. Renascitur secundò Phœnix perennaturæ gloriæ BONAVENTURA Divinissimus, inchoat primordia vitæ, sed tanta, quanta pauci vix meruere senes. In aurora Soles Cœlestis provehit vitæ, æternitatis diem illustraturus. In Vere pietatis & verecundiæ Rosas explicat, Aras Superûm, & Cardinalitiam ornaturus Purpurã. In prætexta multorũ vincit Togas, à pueritia noscendus Togatus, Laureatus. Portendat sibi augusta Juvenis Pellæus, promittat excelsa, auspicetur præclara, ambitioso fastu Orbem amplitudini suæ gloriæ pro meta designet, felicior Juvene Pellæo BONAVENTURA Divinissimus, non sibi sed Ecclesiæ portendit augusta, promittit

excelsa, spondet præclara, & cum maxima exhibeat, majora pollicetur, in quo nil pusillum præter ætatem, nil exiguum præter artus teneros, nil humile præter corpus infantile, cujus magnitudini virtutum capiendæ non Orbis sed Cœlorum par immensitas. Plurimorum vita velut aloes, exigit ævum ut germinet, Divinissimi BONAVENTURÆ ut Virga Jesse, nondum gemmavit jam floruit, quinimò nondum floruit jam probitatum fructus pro floribus obtulit. Virtus BONAVENTURÆ Divinissimi annos, vel longiùs annorum non expectabat tempus, quia non dierum, ast innumerabilium dotum calculó conspiciebatur grandæva, cujus sublimitatem quanta sit, non styli Oratorii est metiri, non Tullii eloqui, dum ipsius Intelligentiæ est tantùm admirari. Ex virtute in virtutem ivit BONAVENTURA Divinissimus, processit in Olympia arenæ Literiæ, & grandi probitatum passu omnes ad metam præcessit, Ingeniorum scopus, Sapientum Corona, cor & primum vivens Eruditorum futurus. Sublime bicollis Parnassi ascendit fastigium, & altitudine mentis summa æquavit ingenia, Os aureum Musarum, & Phœbi oraculum dicendus. Lumina inter Oratoria illustrissimus, tantùm inter erudita Nomina effulsurus quantùm Adamas inter uniones, inter sydera Tytan. Omnem Tullii Majestatem in se transtulit, Princeps Ecclesiæ Purpuratus nominandus. Philosophico in æquore Jason felicior, aureum gloriæ adnavigavit vellus, scientiarum emporium & maxima gloria, Serenissimos Orbi Christiano ut accenderet dies, continuo Noctes Atticas Cleanthis illustrabat Lucernâ, Militans in terris ut triumpharet

Eccle,

Ecclesia, dexter de Palladis arena reportabat trophæa, Doctorum laureâ coronandus. Parùm est in una Regii annuli Gemma novem Musas cum suo in Parnasso Apolline insculptas jactasse Pyrrhum. pretiosus scientiarum Unio, inæstimabilis eruditorum Gemma BONAVENTURA Divinissimus, omne id in compendio tenuit, quidquid in artibus illustre, in scientiis conspicuum, in Lycæis rarum observatur. Itaq; Palladis laureâ coronatus, Oratoriîs luminibûs illustratus, aureo, scientiarum vellere adornatus, luce omnium virtutum nitidissimus, electam Seraphici Francisci Religionem ingressus, in Alverni monte imam professus humilitatem, & summa Orbîs fastigia superavit, Cœlos si non transcendit, virtutibûs adæquavit. Hic Sceptrum pro calamo, Ostrum pro sæpia, Purpuram pro folio assume Regina mentium Eloquentia, ubi Serenissimas Religiosis in umbris refulgentes Purpurati Vaticani Senatus Principis virtutes depingere, & enuntiare intendis, imò de Tuo cede solio, vocemq; comprime, & Stellæ Cœlorum linguæ in uno Seraphico DOCTORE millenas loquantur probitates, tota æternitate coronandas. Edisserant toto qua latè patet Orbe triumphum Illius de mundo gloriosissimum, victoriam sui Ipsius inclytissimam, charitatem proximi ardentissimam, pietatem Numini acceptissimam, Cœlis gratissimam. Quæ Tullii lingua edisseret mentis puritatem intaminatam, frontis humilitatem profundam, pectoris demissam modestiã, cordis Angelicam innocentiam in Divinissimo BONAVENTURA eminentẽ. Atras peccaminosæ labis noxas nec cogitare, nec dicere licet in BONAVENTURA Divinissimo,

 auscul-

auſcultare tantùm licet plusquàm Delphicum oraculum Alexandri de Ales, de Diviniſsimo BONAVENTURA inquientis. *Ecce verus Iſraelita in quo dolus non eſt, non videtur in Ipſo quodammodo Adam peccaſſe* videlicet ecce Hic puririſſimus candor probitatum, ecce Hic vera Seraphici cordis flamma, excitatura Ecceleſiæ ignes triumphales, ecce Hic Sol absq; macula ſereniſſimus; meridiem gloriæ Orbi Chriſtiano acceſurus, ecce Hic Divinitatis Imago, & Norma virtutum. De ſtupenda BONAVENTURÆ quid dicendum ſapientia, nihil enim eſt in Angelis ſubtile, quod Seraphicæ mentis acumine non penetraverit, nil in Theologico mari profundum, quod vaſtó non exhauſerit ingenió, nil in ſcientiis altum, quód eruditâ non tetigerit pennâ. Multa olim percepere Homerus à ſuo Jove, à ſuis Muſis Heſiodus, à ſuo Socrate Plato, à Platone Ariſtoteles, ab Ariſtotele magnus Alexander, Diviniſſimus BONAVENTURA ab Alexandro *de Ales* Magiſtro ſuo percepit plurima, percepta didicit, ſcivitq; Profeſſore major Diſcipulus ſubtiliſsima penetrare, obſcuriſsima illuminare, difficilima reſolvere, adeò ut peſpicuitate Socratem, explicatione Platonem, ſubtilitate Ariſtotelem, non tantùm æquaverit verùm ſuperaverit. Stupet Alexander *de Alès* Profeſſor BONAVENTURÆ ingenium, admiratur talem Diſcipulum, qualem nec Platonis vel Chironis inclyta habuere Lycæa. Septimó Religioſæ ætatis annô conſumató, BONAVENTURA Diviniſsimus ſeptem ſapientes Græciæ excelluit, Sapientum Græciæ, & Orbis Magiſter ac Doctor. Quanta BONAVENTURÆ in ſeptennio Religioſæ ætatatis ſapientia, quæ ſeptem ſapientes

Græ-

Græciæ excelluit quantum ingenii lumen! quod totum implevit Orbem. Ast non est mirandum, ut citiùs BONAVENTURA disceret, præter Alexandrum *de Ales*, Ipse DEUS in Cathedra Crucis Magistrum egit BONAVENTURÆ, ut citiùs saperet, Sapientia Æterna tota simul se infudit Seraphico DOCTORI, ut ocyùs lumine ingenii tenebrionem illustraret Orbem, Sol Justitiæ Cristus in purissima Crystallo BONAVENTURA omnes concentravit radios. Ab infusa igitur sapientia BONAVENTURA Divinissimus profundissimus in scientiis, Abyssum æquavit Thomam, Thomæ æqualis virtutibûs par meritîs, annîs coætaneus, eruditione similis nec dissimilis Seraphicus Doctor Doctori Angelico. Ambo Soles refulsêre Orbis Christiani & maximum Ingeniorum facti prodigium. Scientiarum Magistram, Orbîs Minervam, & Musarum fœcundam Matrem Sorbonam Parisiensem post hinc trienniô erudivit BONAVENTURA Divinissimus, ubi quantus Magister in sua Professione fuerat, vastitate ingenii, ac doctrinæ Ejus, rapti in stuporem multorum sensus, documenta præbuere, quòd Seraphicus DOCTOR, Seraphicè docuit, Angelicè erudivit, erudiendo quid dixit oraculum, quid scripsit miraculum, quid reliquit immortale credebatur. Hæc oracula Seraphicæ sapientiæ, hæc miracula Angelicæ doctrinæ, hæc immortalia relicta BONAVENTURÆ Divinissimi admirari, legere, & videre licet tot in libris Typo mandatis, quibûs Ecclesiam ornavit, Lycæa illustravit, Bibliothecas implevit, Ecclesiæ decus, Lycæorum radius, Bibliothecarum lumen, ac Summa Cardinalitii Honoris Eminentia BONAVENTURA Divi-

 nissi-

nissimus. Ornavit Ecclesiam librîs in laudem Astrorum Reginæ conscriptîs, libellîs de Flore Nazareno, aliàs Infante Christo erudita manu exaratîs. Illustravit Lycæa codicibûs de septem visionibus intitulatîs. Implevit Bibliothecas voluminibûs de præeminentia virtute & sapientia Doctorum conscriptîs, libris de vita Seraphici Francisci compilatîs, aliîsq; innumerîs; quæ brevî recensere syllabô non horæ istius vel diei est opus. Inferre licet itaq; ex tot librorum Voluminibus, Divinissimi BONAVENTURÆ admirandam scientiam, ex scientia stupendam sapientiam, ex sapientia coronatam virtutem, ex virtute Angelicam sanctitatem, ex sanctitate Orbis Christiani felicitatem, Ecclesiæ perennem gloriam, & Summam Cardinalitii Honoris Eminentiam licet inferre. Stupendus Ingeniorum Apex & virtutum fastigium BONAVENTURA Divinissimus ascendit summum Religiosi Honoris culmen *GENERALIS MINISTER* factus, at in infimam Seraphicæ humilitatis descendit abyssum, Tytan Cœli Seraphici, in Honoris sistens meridie, minimus exambit videri, ubi minimis sese quibusvis Minorum Fratrum mancipando obsequiis, subesse vult omnibus, cum præest singulis, humilitatis exemplar, modestiæ Regula, sanctitatis speculum, Ultor tamen flagitiorum vult esse maximus, vindex Honoris Divini summus, Tutor virtutum supremus, dum obstinatos punit severè, Hostes Ecclesiæ expugnat acerrimè, ferventes amore Divino ad profectum virtutum movet prudentissimè suum pro Archetypo exstaticum DEI & proximi amorem, pro Idea pietatis continuam in oratione perseverantiam, pro exercitio mansvetu-

dinem

dinem exhibet, exhibitô plures exemplô docet, quàm olim Idea Oratoriæ Facultatis, & Togatæ Gentis Gloria Cicero, docendo, movendo, ſvadendo, inclinavit, inflexit, impulit. Ille Regulas omnes intaminatus obſervat, ſancita Ordinis ut oracula promulgat, Statutorum obſervantiam omni cum reverentia commendat. Ille ſubſidium pauperum, ſolatium afflictorum, Aſylum miſerorum, virtutum propugnaculum. Sed hic nè compendiũ laudum & probitatum BONAVENTURÆ Diviniſſimi? minimè Summus Eccleſiæ Splendor GREGORIUS X. ut decoret virtutem Honore, BONAVENTURAM Diviniſſimum probitatum Gemmam Infulæ Eboracenſi inſerit, quantum Ornamentum Infulæ Gemma probitatum BONAVENTURA Diviniſſimus! & quantus Gẽmæ candor, candoris nitor, nitoris gloria quanta! omnium oculos, ſingulorum pupillas virtutum luce maxima in ſe rapere, & nolle videri in Infula! in cidari eminere! Ut tamen Summa Cardinalitii Honoris Eminentia appareat diutiùs poſtulatus Romanæ Purpuræ annumeratur Principibus virtutum Princeps BONAVENTURA Diviniſsimus, Albanenſi adſciſcitur Cathedræ, ut prominens ex Cardinalitia Purpura Diviniſsimi BONAVENTURÆ probitatũ candor, Illi Decus maximum attribuat. Sed ita decebat ut Princeps virturum BONAVENTURA Diviniſſimus in Cardinalitia Rota millenîs veheretur laudibûs, qui erat meta & centrum omnis perfectionis, ita decebat ut in Capitolio Purpurati ſiſteret Honoris, qui de hœreſi plures reportavit laureas, ita decebat ut Cardinalitium deferret Galerum, qui erat facundiſsimus pro

Honore Divino Mercurius. Ad splendorem Purpurati Honoris ad Eminentiam Præsuleæ dignitatis quàm admirandîs effulsit virtutibûs quàm stupendîs inclaruit universo meritîs quàm præclarîs se commendavit Christiano Orbi facinoribûs, Hic Atlas fortissimus labentem olim suis à cardinibus Christianum sustinuit Orbem, Hic Scipio adversam Romæ fregit Carthaginem, Hic Princeps Purpuratus duram hœresîs cervicem in debitæ venerationis homagium Gentium Dominæ subegit. Hæc Adamantina Columna stabilivit Ecclesiam, Hæc Anchora detinuit PETRI Cymbam, Hoc Fundamentum, totum orthodoxæ fidei sustinuit Fundatum, Hic Solis Æterni Radius felicissimè ardens, beatissimè fulgens atram errorum dissipavit noctem, Hoc caput Divinæ Sapientiæ plenum quidquid excogitavit id Summa Potestas æternæ veritatis esse approbavit, Annulô Piscatoris roboravit. Hic Cœlestis facultatis Magister, illa malitiosa, improba, nefanda, indigna, furibunda, execranda ut ita dicam Græcorum subjecta, quæ Principalissimo quia de Sanctissima TRINITATE Divinæ fidei articulo moliebantur ruinam; Processionem scilicet Spiritûs Divinissimi ab utroq; denegando meliùs in fide orthodoxa fecit sapere, ipsamq; Græciam Scientiarum & Literarum sedem Divinitùs erudivit, Ecclesiæ univit conjunxit, copulavit Aureum Os Ecclesiæ GREGORIUS X. dum oracula Orbi Christiano loqui desierat, mota fuit ex centro suo Cardinalitia Rota, rupta fuêre Purpuratorum Principum corda, scissa animorum unio, discordia circa novi electionem Successoris facta, quis in centro omnis perfectionis stitit Rotam

facta

Cardinalitiam? Summa Cardinalitii Honoris Eminentia BONAVENTURA Divinissimus, quis rupta Purpuratorum Principum sociavit corda? Cor Ipse purpurati Cœtûs BONAVENTURA quis scissam animorum unionem copulavit Unio Doctorum BONAVENTURA, Ille singulis optatam conciliavit pacem felicissimè, sedavit lites efficacissimè, composuit discordias pacatissimè, & absq; ulla votorum controversia Orbis Christiani Moderatorem Teobaldum elegit, nominavit, promulgauit. Singula mille encomiîs digna quæ pro gloria Seraphicæ Religionis quæ pro Honore Divino fecit & egit BONAVENTURA Divinissimus enumerare gesta, recensere facta, innumeras Illius ad calculum revocare virtutes opus censeo sæculorum. Radiate jam candenti sereniùs Sole Oratoria sidera, ut Seraphico DOCTORI coruscum encomiorum adijciatis jubar, fundite stellas pro literis eruditorum pennæ, ut Olympũ gloriæ BONAVENTURÆ Divinissimi illustretis. Desudate ingeniosæ Laudatorum frontes ut gemmas in coronam laudum BONAVENTURÆ Divinissimi depromatis. Mihi liceat tantùm BONAVENTURAM Divinissimum ex altitudine Sapientiæ Supremam Capitis Ecclesiæ admirari Potentiam, Purpuratum Vaticani Senatûs venerari Principem, & ex præcelsa virtutum Majestate, ex maxima sanctitatis sublimitate adorare Summam Cardinalitii Honoris Eminentiam.

TUuæ gloriæ hæc est Eminentia Augusta Seraphici FRANCISCI Religio. Fastigium Honoris Tui, jam summam Vaticani æquat altitudinem

cùm illud Pontificum ſublimant Tiaræ, Cardinalitii ampliant Galeri, Archipræſulea attollunt Peda, Epiſcopales irradiant Infulæ, Tuarum virtutum magnitudo, meritorum celſitudo, Seraphicæ humilitatis abyſſus, adeò in ſummum elevant, ut nullus Oratorius ſtylus, illud metiri, nulla penna erudita attingere, nullus eloqui Tullius valeat, unum tantùm dicere valet, quod Tui maximum eſt Honoris Faſtigium. Summa Cardinalitii Honoris Eminentia es BONAVENTURA Diviniſsime, Summos Regni Lechici protege faſces, Tergeminas ſublimis Vavelli Coronas, luce Honorum maxima nitidiſsimas efficias. Aurea ſtudiorum Auguſtæ Matris Univerſitatis Sceptra, Tuarum virtutum ſplendore irradia. Coronatrix Regum & Regni Metropolis Cracovia, Feſtiva magni Jubilæi celebrans hilaria Sacro Tuo applaudit Honori, applaudendo cum numeroſo Incolarum Cœtu ad Te feſtivo accurrit paſſu, implorando, ut ad Univerſale hoc Jubilæum ſingulis nobis auream
Tuarum gratiarum reſeres Portam, & ſic
Summa Cardinalitii Honoris Eminentia
à ſingulis approbaberis ut ego probavi &
D I X I.

22000,-
3.XII.13

Bibliotheca
P.P. Camaldulensium in Bielany
Depozyt w Bibliotece Jagiellońskiej
02350